



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S. Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Parasceve Ad Historiam Naturalem, Et Experimentalem. Descriptio Historiæ Naturalis, & Experimentalis, Qualis sufficiat, & sit in ordine ad Basin, & Fundamenta Philosophiæ veræ.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

PARASCEVE
AD
HISTORIAM NATURALEM,
ET
EXPERIMENTALEM.
DESCRIPTIO
HISTORIÆ NATURALIS,
&
EXPERIMENTALIS,

Qualis sufficiat, & sit in ordine ad Basin, & Fundamenta
Philosophiæ veræ.

Quod *Institutionem* nostram per partes edamus, id eo spectat, ut aliquid extra periculum ponatur. Non abfimilis nos movet ratio, ut aliam quandam Operis particulam jam in præfenti subjungamus, & eum us quæ supra absolvimus, una edamus. Ea est Descriptio & Delineatio Historiæ Naturalis & Experimentalis, ejus generis, quæ sit in ordine ad condecendam Philosophiam, & complectatur Materiam probam, copiosam, & apte digestam ad opus Interpretis quod succedit. Huic autem rei locus proprius foret quum ad *Parascevas* Inquisitionis ordine deventum fuerit. Hoc vero prævertere, nec locum proprium expectare, consultius nobis videtur, quod hujusmodi Historia, qualem animo metimur, & mox describemus, res perquam magnæ sit Molis, nec sine magnis laboribus & sumptibus confici possit, ut quæ multorum opera indigeat, & (ut alibi diximus) opus sit quasi Regium. Itaque occurrit illud, non abs re fore experiri, si forte hæc aliquibus aliis curæ esse possint; ita ut, dum nos destinata ordine perficiamus, hæc pars, quæ tam multiplex est & onerosa, etiam vivis nobis (si ita Divinæ placuerit Majestati) instrui & parari possit, aliis una nobiscum in id sedulo incumbentibus, præsertim quum vires nostræ (si in hoc soli fuerimus) vix tantæ provinciæ sufficere videntur. Etenim quæ ad Opus ipsum Intellectus pertinent nos, Marte nostro fortasse vincemus. At Intellectus Materialis tam late patet, ut ea (tanquam per Procuratores & Mercatores) undique conquiri & importari debeant. Accedit etiam illud, quod Cæptis nostris vix dignum esse æstimmus, ut in re tali, quæ ferè omnium Industria pateat, nos ipsi tempus teramus. Quod autem Caput rei est, Ipsi nunc præstabimus, ut ejusmodi Historiæ Modum & Descriptionem, qualis Intentioni nostræ satisfaciat, diligenter & exacte proponamus; ne homines non admoniti aliud agant, & ad Exemplum Naturalium Historiarum, quæ jam in usu sunt, se regant, atque ab Instituto nostro multum aberrent. Illud interim quod sæpe diximus etiam hoc loco præcipue repetendum est: Non, si omnia omnium Ætatum ingenia coivissent, aut posthac coierint; non, si universum genus humanum Philosophiæ dedisset operam, aut dederit; & totius Terrarum Orbis nihil aliud fuisset, quam Academiæ, & Collegia, & Scholæ virorum doctorum; tamen absque tali, qualem nunc præcipimus, Historiam Naturali & Experimentalis, ullos,

qui genere humano digni sint, progressus in Philosophia & Scientiis, fieri potuisse: contra vero, comparata & bene instructa hujusmodi Historia, additis Experimentis Auxiliariis & Luciferis, quæ in ipso Interpretationis Curriculo occurrunt aut eruenda erunt; paucorum Annorum opus futuram esse Inquisitionem Naturæ & Scientiarum omnium. Itaque aut hoc agendum est, aut Negotium deferendum. Hoc enim solo & unico modo Fundamenta Philosophiæ veræ & Activæ stabiliri possunt; Et simul perspicient homines, tanquam ex profundo somno excitati, quid inter Ingenii Placita & Commenta, ac Veram & Activam Philosophiam inter sit; & quid demum sit, de Natura Naturam ipsam consulere.

Primo igitur de hujusmodi Historia conficienda præcepta dabimus in genere. Deinde particularem ejus Figuram hominibus sub oculos ponemus; Inferentes interdum non minus *Ad quid* Inquisitio aptanda & referenda sit, quam *Quid* queri debeat. Scilicet, ut Scopus rei bene intellectus & prævisus, etiam alia hominibus in mentem redigat, quæ à Nobis fortasse prætermissa erunt. Historiam autem istam *Historiam primam*, sive *Historiam Matrem* appellare consuevimus.

APHORISMI

de

CONFICIENDA HISTORIA

Prima.

APHORISMVS

I.

Natura in triplici Statu ponitur, & tanquam Regimen subit trinum. Aut enim *libera* est, & cursu suo ordinario se explicat; aut à *pravitatibus* & *insolentiis* Materiæ, atque ab *Impedimentorum violentiis*, de statu suo detruditur, aut ab *arte* & *ministerium humano* constringitur & fingitur. Atque Primus ille Status ad *Species* rerum refertur; Secundus ad *Monstra*; Tertius ad *Artificialia*. Etenim in Artificialibus Natura jugum recipit ab Imperio Hominis; nunquam enim illa facta fuissent absque Homine. At per operam & ministerium Hominis conspicitur prorsus nova Corporum Facies, & veluti Rerum Universitas altera, sive Theatrum alterum. Triplex itaque est Historia Naturalis. Tractat enim aut Naturæ *Liberatam*, aut *Errores*, aut *Vincula*, ut non male eam partiri possimus, in *Historiam Generationum*, *Prætergenerationum*, & *Artium*; quartam postremam etiam

Mecha-

Mechanicam & Experimentalem appellare consuevimus. Neque tamen id præcipimus, ut hæc tria separatim tractentur. Quidni enim possint *Historia Monstrorum* in singulis Speciebus cum *Historia ipsarum Specierum* conjungi? Etiam *Artificialia* quandoque cum Speciebus recte conjunguntur, quandoque melius separantur. Quamobrem è renata de his consilium capere optimum est. Methodus enim iterationes & prolixitatem gignit, æque ubi nimia est, ac ubi nulla.

II.

Historia Naturalis, ut Subjecto (quemadmodum diximus) triplex, ita Usû duplex est. Adhibetur enim aut propter rerum ipsarum cognitionem, quæ *Historia* mandantur; aut tanquam *Materia prima Philosophiæ*, atque veræ *Inductionis Supellex* sive *Sylva*. Atque Posterius hoc nunc agitur; Nunc, inquam; neque unquam antehac. Neque enim *Aristoteles*, aut *Theophrastus*, aut *Dioscorides*, aut *Cajus Plinius*, multo minus *moderni*, hunc finem (de quo loquimur) *Historiæ Naturalis* unquam sibi proposuerunt. Atque in hoc plurimum est, ut qui partes scribendi *Historiam Naturalem* sibi posthac sumpserint, hoc perpetuo cogitent, atque animo agitent, se non *Lectoris* delectationi, non utilitati ipsi, quæ ex *Narrationibus* in præfens capi possit, debere inservire, sed conquirere & comparare *Rerum Copiam* & varietatem, quæ veris *Axiomatibus* consificiendis sufficiat. Hoc enim si cogitent, Modum hujusmodi *Historiæ* ipsi sibi præscribent. Finis enim regit modum.

III.

Quo autem majoris est hæc res operæ & laboris; eo illam minus onerari superfluis consentaneum est. Tria itaque sunt, de quibus *Homines* sunt plane admonendi, ut in illis parce admodum operam suam collocent; tanquam iis quæ *massam Operis* in immensum augeant, virtutem parum aut nihil promoveant.

Primo igitur facessant *Antiquitates*, & *Citationes*, aut *Suffragia Authorum*; etiam *Lites*, & *Controversiæ*, & *Opiniones discrepantes*; omnia denique *Philologica*. Neque enim citetur *Author*, nisi in re dubiæ fidei; neque interponatur *Controversia*, nisi in re magni momenti. Quæ vero ad *Ornamenta Orationis*, & *Similitudines*, & *Eloquentiæ Thesaurum*, & hujusmodi inania spectant, omnino abjiciantur. Etiam quæ recipiuntur omnia, & ipsa proponantur breviter & strictim, ut nihil minus sint quam verba. Nemo enim qui *materialia* ad *Ædificia* vel *naves* vel hujusmodi aliquas *Structuras* colligit & reponit, ea (*Officinarum more*) belle collocat & ostentat ut placeant; sed in hoc tantum sedulus est, ut proba & bona sint, & ut in *Repositorio spatium minimum* occupent. Atque ita profusus faciendum est.

Secundo, non multum ad rem facit *Luxuria* illa *Historiarum Naturalium* in *Descriptionibus* & *Picturis Specierum* numerosis, atque earundem *Varietate* curiosa. Hujusmodi enim pusillæ *Varietates* nihil aliud sunt, quam *Lusus* quidam *Naturæ*, & *Lascivia*, & prope ad *Individuorum Naturam* accedunt: Atque habent *Peragationem* quandam in *Rebus* ipsis amenam & jucundam; *Informationem* vero ad *Scientiam* tenuem, & fere *supervacuam*.

Tertio, missæ plane faciendæ sunt omnes *Nar-*

rationes *superstitiosæ* (non dico *prodigiosæ*, ubi *memoria* earum reperitur *fida* & *probabilis*, sed *superstitiosæ*) & *Experimenta* *magiæ Ceremonialis*. Nolumus enim *Philosophiæ Infantiam*, cui *Historia Naturalis* primam præbet mammam, *fabulis* anilibus alluescere. Erit fortasse *Tempus* (postquam in *Inquisitionem Naturæ* paulo altius penetratum erit) hujusmodi res leviter percurrendi; ut si quid in illis facibus hæreat *virtutis Naturalis*, ea extrahi & in usum condi possit. Interim *seponenda* sunt. Etiam *magiæ Naturalis Experimenta* diligenter & cum severitate ventilanda sunt, antequam recipiantur; præsertim illa, quæ ex *vulgariibus Sympathiis* & *Antipathiis* magna cum *locordia* & *facilitate* credendi simul & *fingendi*, derivari solent.

Neque nil aut parum actum est in exoneranda *Historia Naturali* tribus his (quas diximus) *rebus* superfluis, quæ alias *Volumina* impleturæ fuissent. Neque tamen hic finis. Æque enim requiritur in *Opere magno*, ut tam ea quæ recipiuntur, succincte scribantur; quam ut *superflua* abscondantur: Licet nemini dubium esse possit, quin hujusmodi *Castitas* & *Brevitas* delectationem multo minorem tum *Legenti* tum *Scribenti* præbitura sit. Verum illud semper inculcandum est; hoc quod paratur, *Horreum esse tantummodo* & *Promptuarium* *Rerum*; in quo non manendum, aut habitandum sit cum *voluptate*, sed eo descendendum, pro ut res postulat, cum aliquid ad usum *sumendum* sit, circa *Opus Interpretis* quod succedit.

IV.

In *Historia* quam requirimus & animo destinamus, ante omnia videndum est, ut late pateat, & facta sit ad *mensuram Universi*. Neque enim arctandus est *mundus* ad angustias *Intellectus* (quod adhuc factum est) sed *expandendus Intellectus* & *laxandus*, ad *mundi Imaginem* recipiendam, qualis invenitur. *Istud enim, Respicere pauca, & pronuntiare secundum pauca*, omnia perdidit. Refumet igitur *Partitionem*, quam paulo ante fecimus *Historiæ Naturalis*, (quod sit *Generationum, Prætergenerationum, & Artium*) *Historia Generationum* constituimus *Partes* quinque. Sit prima, *Ætheris* & *Cælestium*. Secunda, *meteororum*, & *Regionum* (quas vocant) *Æris*; *Tractuuum* videlicet à *Luna* usque ad *Superficiem Terræ*; *Cui etiam parti Cometas* cujuscunque generis, tum *sublimiores*, tum *humiliores* (utcunque se habeat rei veritas) *Ordinis causa* assignamus. Tertia, *Terræ* & *maris*. Quarta, *Elementorum* (quæ vocant) *Flammæ*, sive *Ignis*, *Æris*, *Aquæ*, & *Terræ*. *Elementa* autem eo sensu accipi volumus, ut intelligantur non pro *Primordiis Rerum*, sed pro *Corporum Naturalium* *massis* majoribus. Ita enim *Natura Rerum* distribuitur, ut sit quorundam *Corporum* *Quantitas*, sive *massa* in *Universo* perquam magna; quia scilicet ad *Schematicum* eorum requiritur *Textura* *materiæ* *facilis* & *obvia*; qualia sunt ea quatuor (quæ diximus) *corpora*: At quorundam aliorum *Corporum* sit *Quantitas* in *Universo* parva, & parce suppeditata, propter *Texturam* *materiæ* valde *dissimilem*, & *subtilem*, & in plurimis *determinatam*, & *organicam*; qualia sunt *Species Rerum Naturalium*, *metalla*, *Plantæ*, *Animalia*. Quare prius *Genus Corporum*, *Collegia*

T

majoris

Histor. Mag.
modi sunt

Phyſic

majora; poſterius, *Collegia minor*a appellare conſuevimus. At *Collegiorum iſtorum Majorum* eſt Pars Hiſtoriae quarta, ſub nomine Elementorum, ut diximus. Neque vero confunditur Pars quarta cum ſecunda aut tertia, in hoc quod in ſingulis mentionem Aëris, Aquae, & Terrae fecimus. In ſecunda enim & Tertia recipitur Hiſtoria eorum, tanquam Mundi Partium integralium, & quatenus pertinent ad Fabricam & Configurationem Univerſi; At in quarta continetur Hiſtoria Subſtantiae & Naturae ipſorum, quae in ſingulis eorum partibus ſimilaribus viget, nec ad totum refertur. Quinta denique pars Hiſtoriae *Collegia minor*a, ſive *Species* continet; circa quas Hiſtoria Naturalis haecenus praecipue occupata eſt. *Hiſtoriam* vero *Praeter generationum* quod attinet; jam dudum à nobis dictum eſt, quod illa cum Hiſtoria Generationum commodiſſime congiungi poſſit; ea ſcilicet, quae ſit prodigioſa tantum, & naturalis. Nam ſuperſtitioſam Miraculorum Hiſtoriam (cujuscuſque ſit generis) omnino relegamus in Tractatum proprium; neque ipſum jam inde à principio ſuſcipiendum, ſed paulo poſt, quando altius in Naturae Inquiſitionem penetratum fuerit.

At *Hiſtoriam Artium*, & Naturae ab Homine verſae & immutatae, ſive Hiſtoriam Experimentalem, triplex eſt conſtituimus. Aut enim de prompta eſt ex Artibus Mechanicis; Aut ex Operativa parte Scientiarum Liberalium; aut ex Practicis compluribus & Experimentis, quae in Artem propriam non coaluerunt; immo quae quandoque ex vulgatiſſima Experientia occurrunt, nec Artem omnino deſiderant. Quamobrem ſi ex his omnibus quae diximus, *Generationsibus, Praeter generationibus, Artibus, & Experimentis* conſecta fuerit Hiſtoria; nihil praetermiſſum videtur, per quod ſenſus ad informandum Intellectum Inſtrui poſſit. Neque igitur amplius intra Circulos parvos (veluti incantati) ſubſaltabimus, ſed Mundi Pomeria circuitione æquabimus.

V.

Inter Partes eas quas diximus Hiſtoriae, maximi uſus eſt *Hiſtoria Artium*, propterea quod oſtendat Res in Motu, & magis recta ducat ad Praxin. Quinetiam tollit larvam & velum à Rebus Naturalibus, quae plerumque ſub varietate Figurarum & Apparentiae externae occultantur, aut obſcurantur. Denique Vexationes Artis ſunt certe tanquam Vincula & Manicæ *Protei*, quae ultimos Materiae Nixus & Conatus produnt. Corpora enim perdi aut annihilari nolunt; ſed potius in varias Formas ſe mutant. Itaque circa hanc Hiſtoriam, licet Mechanicam (ut videri poſſe) & minus Liberalem, (miſſa arrogantia & faſtu) ſumma eſt adhibenda diligentia.

Rurſus, inter Artes praefertuntur ea, quae Corpora Naturalia & Rerum Materialia exhibent, alterant, & praeparant; ut Agricultura, Coquinaria; Chymica; Tinctoria; Opificia Vitri, Eſmaltae, Sacchari, Pulveris Pyrii, Ignium Artificialium, Papyri, & huiusmodi. Jejunioris autem ſunt uſus, quae praecipue conſiſtunt in Motu ſubtili Manuum, & Inſtrumentorum; quales ſunt Textoria; Fabrilis; Architectura; Opificia Molendinorum, Horologiorum, cum ſimilibus; Licet & iſtae nullo modo negligenda ſint, tum quia in illis occurrunt multa, quae ad Corporum Naturalium Altera-

tiones ſpectant; tum quia accurate informant de Motu Lationis; quae res eſt magni proſus ad pluriſima momenti.

Verum in Congerie univerſa iſtius *Artium Hiſtoriae*, illud omnino monendum eſt, & penitus memoriae mandandum; recipienda eſſe Experimenta Artium, non ſolum ea quae ducunt ad finem Artis, ſed etiam quae nullo modo interveniunt. Exempli gratia, quod Locuſtae, aut Cancris coctis, cum prius Colorem laei referrent, tubefcant, nihil ad menſam: ſed haec ipſa Inſtantia tamen non mala eſt ad inquitendam naturam Rubedinis; cum idem eveniat etiam in Lateribus coctis. Similiter, quod Carnes minori mora ſaliantur hyeme quam æſtate, non eo tantum ſpectat, ut Coquus cibos bene & quantum ſufficit condat, ſed etiam Inſtantia bona eſt ad indicandam naturam & impreſſionem Frigoris. Quamobrem toto (quod a junct) caelo erraverit, qui Intentioni noſtrae ſatiſſeri exiſtimaverit, ſi Artium Experimenta colligantur huius rei ſolum gratia, ut hoc modo Artes ſingulae melius perſiciantur. Licet enim & hoc non proſus contemnamus in multis; tamen ea plane eſt mens noſtra, ut omnium Experimentorum Mechanicorum rivuli in Philoſophiae pelagus undequaque fluant. Delectus autem Inſtantiarum in unoquoque genere eminentiorum (quas maxime & diligentiffime conquirere oportet, & quaſi venari) ex Prærogativis Inſtantiarum petendus eſt.

VI.

Reſumendum etiam eſt hoc loco, quod in *Alphoriſmis* 99. 119. 120. *Libri primi* fuſius tractavimus: hic vero, Praecepti more, breviter imperare ſufficiat. Hoc eſt, ut recipiantur in hanc Hiſtoriam; Primo res Vulgatiſſimae, quales quis ſuper vacuum putaret ſcripto inferere, quia tam familiariter nota ſunt; Dein, res Viles, Illiberales, Turpes; (*Omnia enim munda mundis*; & ſi Lucrum ex Lotio boni odoris ſit, multo magis Lumen & Informatio ex re qualibet;) Etiam res Leves & Pueriles; (nec mirum; repneraſcendam enim plane eſt;) Poſtremo, res quae nimiae cujuſdam Subtilitatis eſſe videntur, quod in ſe nullius ſint uſus. Neque enim (ut jam dictum eſt) quae hac Hiſtoria proponuntur, propter ſe congeſta ſunt: Itaque neque dignitatem eorum ex ſe metiri par eſt, ſed quatenus ad alia transferri poſſint, & influant in Philoſophiam.

VII.

Illud in ſuper praecipimus, ut omnia in Naturalibus Corporibus quam Virtutibus (quantum fieri poſſe) numerata, appenſa, dimenſa, determinata proponantur. Opera enim meditamus, non Speculationes. Phyſica autem & Mathematica, bene commiſta, generant Practicam. Quamobrem exactae Reſtitutiones & Diſtantiae Planetarum, in Hiſtoria Coeleſtium: Terrae Ambitus, & Quantum occupet in ſuperficie reſpectu Aquarum, in Hiſtoria Terrae & Maris: Quantum compressionem Aër patiatuſque forti Antitypia, in Hiſtoria Aëris: Quantum in Metallis alterum alteri praeponderet, in Hiſtoria Metallorum; Et innumera id genus perquirenda, & perſcribenda ſunt. Cum vero exactae Proportiones haberi non poſſunt, tum certe ad Aſſimilativas aut Comparativas indefinitas confugiendum eſt. Veluti (ſi forte calculis Aſtronomorum de Diſtantiis diſſidimus) quod

quod Luna sit infra umbram Terræ; quod Mercurius sit supra Lunam; & hujusmodi. Etiam cum mediæ Proportiones haberi non possint, proponantur extremæ: veluti, quod languidior Magnes attollat Ferrum ad tale pondus, respectu ponderis ipsius Lapidis; & quod maxime virtuosus, etiam ad rationem sexagecuplam; quod nos in armato Magnete admodum parvo fieri vidimus. Atque satis scimus, istas Instantias determinatas non facile aut sæpe occurrere; sed in ipso Interpretationis curriculo, tanquam Auxiliaries, (quando res maxime postulat) debere exquiri. Veruntamen si forte occurrant, modo non progressum conficiendæ Naturalis Historiæ nimis remorentur, etiam in ipsam eas inferere oportet.

VIII.

Fidem vero eorum, quæ in Historia sunt recipienda, quod atinet; necesse est ut illa sint aut fidei Certæ, aut fidei Dubiæ, aut fidei Damnatæ. Atque prius genus simpliciter est proponendum, Secundum, cum nota; vid. per verbum *Traditur*, aut *Referunt*, aut *Audens ex fide digno*, & hujusmodi. Nam argumenta Fidei in alterutram partem, nimis operosum foret ascribere: & proculdubio scribentem nimis remorabitur. Neque multum etiam refert ad id quod agitur: quoniam (ut in *Aphorismo 118. Lib. 1. diximus*) fallitatem Experimentorum, nisi ea ubique scateant, veritas Axiomaticum paulo post convincet. Attamen si Instantia fuerit nobilior, aut usu ipso, aut quia alia multa ex illa pendere possint; tum certe nominandus est Author: neque id nude tantum, sed cum mentione aliqua; utrum ille ex Relatione, aut Excriptione, (qualia sunt fere, quæ scribit *C. Plinius*) aut potius ex Scientia propria illa affirmaverit; atque etiam utrum fuerit res sui temporis, an vetustior; insuper, utrum sit tale quippiam, cujus necesse foret ut multi essent testes, si verum foret; denique, utrum Author ille fuerit vaniloquus & levis, an sobrius & severus; & similia, quæ faciunt ad pondus Fidei. Postremo res Damnatæ fidei, & tamen jactatas & celebratas, quales, partim neglectu, partim propter usum Similitudinum, per multa jam sæcula invaluerunt, (veluti, quod Adamas liget Magnetem, Alium enervet; Electrum omnia trahat præter Ocymum; & alia multa hujusmodi) oportebit non silentio rejicere, sed verbis expressis proscribere, ne illa amplius Scientiis molesta sint.

Præterea non abs re fuerit, si forte Origo Vanitatis aut Credulitatis alicujus occurrat, illam notare: veluti, quod herba Satyrio attributa sit vis ad excitandam Venerem, quia Radix scilicet in figuram testiculorum efformata sit: Cum revera hoc fiat, quia adnascitur annis singulis nova radix bulbosa; adherente radice anni prioris; unde Didymi illi. Manifestum autem hoc est, quod nova Radix semper inveniatur solida & succulenta, vetus emarcida & spongiosa. Quare nil mirum, si altera mergatur in aqua, altera natet: Quod tamen pro re mira habetur, & reliquis ejus Herba virtutibus authoritatem addidit.

IX.

Superfunt Additamenta quædam Historiæ Naturalis utilia, quæque eam magis commode inflectere & aptare possint ad opus *Interpretis*, quod succedit. Illa quinque sunt.

Primum, *Questiones* (non *Causatum dico, sed Facti*) adjiciendæ sunt, ut inquisitionem ulteriorem provocent & sollicitent: ut, in Historia Terræ & Maris, Utrum Mare Caspium fluat & refluat, & quali horarum (spatio) Utrum sit aliqua Continens Australis, an potius Insula; & similia.

Secundo, in Experimento aliquo novo & subtiliore, addendus est *modus ipse Experimenti*, qui adhibitus est: ut liberum sit hominum judicium, utrum Informatio per Experimentum illud sit fidum aut fallax, atque etiam excutatur hominum Industria, ad exquirendos Modos (si fieri possit) magis accuratos.

Tertio, si quid subit in aliqua Narratione dubii vel scrupuli, id suppressi aut reticere omnino nolimus; sed plane & perspicue ascribi, Notæ aut Moniti loco. Cupimus enim, Historiam primam, veluti factu Sacramento de veritate ejus in linguis, religiosissime conscribi; cum sit *Volumentum Operum Dei* & (quantum inter Majestatem Divinorum, & Humilitatem Terrenorum collationem facere liceat) tanquam Scriptura altera.

Quarto, non abs re fuerit *Observationes* quandoque aspergere, (id quod *C. Plinius* fecit,) veluti in Historia Terræ & Maris; Quod Terrarum figura (quatenus adhuc cognita est, respectu Marium, sit ad Austrum angusta & veluti acuminata, ad Septentriones lata & ampla; Marium, contra: Et quod Oceani Magni intersecent Terras alveis expotrectis inter Austrum & Septentriones, non inter Orientem & Occidentem, nisi forte in extremis Regionibus Polaribus. Etiam *Canones* (qui nil aliud sunt quam *Observationes* generales & Catholicæ) optime ascribuntur: veluti in Historia Cælestium; Quod Venus nunquam distet à Sole plus partibus 46. Mercurius, 23. Et quod Planetæ, qui supra Solem locantur, tardissime moveant; cum longissime à Terra absint: Planetæ infra Solem, celerissime. Aliud insuper *Observationis* genus adhibendum; quod nondum in usum venit, licet sit haud exigui momenti. Illud tale est: nempe, ut subjungantur iis quæ sunt, ea quæ non sunt. Veluti, in Historia Cælestium, Quod non inveniatur stella oblonga vel triangularis; sed quod omnis stella sit globosa: vel globosa simpliciter, ut Luna; vel ad aspectum Angulata, sed in medio globosa, ut reliquæ Stellæ; vel ad aspectum, comata, & in medio globosa, ut Sol: Aut quod Stellæ nullo prorsus spargantur ordine; ut non inveniatur vel *Quincunx*, vel *Quadrangulum*, nec alia Figura perfecta; (utcumque imponantur nomina *Delta*, *Coronæ*, *Crucis*, *Quadrigrarum*, &c.) vix etiam linea recta, nisi forte in *Cingulo* & *Pugione* *Orionis*.

Quinto, juvabit fortasse nonnihil *quærentem*, quod credentem prorsus pervertat & perdat: vid. ut *Opiniones*, quæ nunc receptæ sunt, cum earum *Varietate* & *sectis*, brevi verborum complexu, & tanquam in transitu recensentur; ut *Intellectum* vellicent, & nihil amplius.

X.

Atque hæc sufficient quatenus ad Præcepta generalia: quæ si diligenter observentur, & finem recta petet hoc Opus Historiæ, nec exerceat supra modum. Quod si etiam, prout circumscribitur & limitatur: vastum Opus alicui pusillanimo videri possit; is in Bibliothecas oculos convertat; & inter alia, Corpora Juris Civilis aut Juris Canonici

nici ex una parte spectet, & Commentarios Doctorum & Jurisconsultorum ex altera; & videat quid interlit quoad Molem & Volumina. Nobis enim (qui, tanquam Scribæ fideles, leges ipsas Naturæ, & nil aliud excipimus & conscribimus) brevitatis competit, & fere ab ipsis Rebus imponitur. Opinionum autem, & Placitorum, & Speculationum, non est numerus neque finis.

Quod vero in Distributione Operis nostri mentionem fecimus *Cardinalium Virtutum* in Natura; & quod etiam horum Historia, antequam ad Opus Interpretationis ventum fuerit, perscribenda esset; hujus rei minime oblitus sumus, sed eam nobis ipsis reservavimus: cum de aliorum Industria in hac re, priusquam homines cum Natura paulo arctius consuecere inceperint, prolixè spondere non audeamus. Nunc itaque ad Delineationem *Historiarum Particularium* veniendum.

Verum, prout nunc negotiis distingimur, non ulterius suppetit otium, quam ut *Catalogum* tantum *Historiarum* secundum Capita subjungamus. Enimvero cum primum huic rei vacare possumus, consilium est, in singulis, veluti interrogando, docere, qualia sint circa unamquamque Historiarum illarum potissimum inquitenda & conscribenda, tanquam ea quæ ad finem nostrum faciunt, instar *Topicorum* quorundam particularium: vel potius, ut (sumpto exemplo à *Causis Civilibus*) in hac *Vindicatione magna* sive *Processu*, à favore & providentia divina concessio & instituto, (per quem genus humanum Jus suum in Naturam recuperare contendit) Naturam ipsam & Artes super Articulos examinemus.

CATALOGUS
HISTORiarUM
particularium
Secundum Capita.

- 1 *Historia Cælestium*; sive *Astronomica*.
- 2 *Historia configurationis Cæli & partium ejus*, versus Terram & partes ejus; sive *Cosmographica*.
- 3 *Historia Cometarum*.
- 4 *Historia Meteororum ignitorum*.
- 5 *Historia Fulgurum, Fulminum, Tonitruum, & Coruscationum*.
- 6 *Historia Ventorum, & Flatum repentiorum, & undulationem Aeris*.
- 7 *Historia Iridum*.
- 8 *Historia Nubium, prout superne conspiciuntur*.
- 9 *Historia Expansionis Cæruleæ, Crepusculi, plurimum Solium, plurimum Lunarum, Halorum, Colorum variorum Solis & Lune; atque omnis varietatis Cælestium ad aspectum, que fit ratione Medii*.
- 10 *Historia Pluviarum ordinarium, procellosarum, & prodigiosarum; etiam Cataractarum (quæ vocant) Cæli, & similia*.
- 11 *Historia Grandinis, Nivis, Gelu, Pruine, Nebule, Roris, & similia*.
- 12 *Historia omnium aliorum cadentium sive descenduntium ex alto, & superne generatorum*.
- 13 *Historia Somnium in alto (si modo sint aliqui) præter Tonitrua*.
- 14 *Historia Aeris, in Toto, sive in Configuratione Mundi*.
- 15 *Historia Tempestatum, sive Temperamentorum*

Anni, tam secundum variationes Regionum, quam secundum accidentia Temporum, & periodos Annorum, Diluviorum, Ferrorum, Siccitatum, & similia.

- 16 *Historia Terra & Maris; Figura & Ambitus ipsorum, & Configurationis ipsorum inter se, atque Exporrectionis ipsorum in latum aut angustum; Insularum Terra in Mari, Sinuum Maris, & Lacuum salforum in Terra, Isthmorum, Promontoriorum*.
- 17 *Historia Motuum (si qui sint) globi Terra & Maris; & ex quibus Experimentis illi colligi possint*.
- 18 *Historia Motuum majorum & Perturbationum in Terra & Mari; nempe Terra Motuum & Tremorum & Hiatuum, Insularum de novo enascentium, Insularum fluctuantium, Abruptionum Terrarum per ingressum Maris; Invasorum & Illuvionum; & contra Desertionum Maris; Eruptionum Ignium è Terra, Eruptionum substantiarum Aquarum è Terra, & similia*.
19. *Historia Geographica Naturalis, Montium, Vallium, Sylvarum, Planitiesum, Arenarum, Paludum, Lacuum, Fluviorum, Torrentium, Fontium, & omnis diversitatis scaturiginum ipsorum, & similia, missi Gentibus, Provinciis, Urbibus, & hujusmodi Civilibus*.
- 20 *Historia Fluxuum & Refluxuum Maris, Euriporum, Undulationum & Motuum Maris, aliorum*.
- 21 *Historia caterorum Accidentium Maris; Saluginis ejus, Colorum diversorum, Profunditatis; & Rupium, Montium, & Vallium submarinarum, & similia*.

Sequuntur Historiæ Massarum majorum.

- 22 *Historia Flamma, & Ignitorum*.
- 23 *Historia Aeris, in Substantia, non in Configuratione*.
- 24 *Historia Aquæ, in Substantia, non in Configuratione*.
- 25 *Historia Terra & diversitatis ejus, in Substantia, non in Configuratione*.

Sequuntur Historiæ Specierum.

- 26 *Historia Metallorum perfectorum, Auri, Argentis, & Minerarum, Venarum, Marcassarum eorundem: Operaria quoque in Mineris ipsorum*.
- 27 *Historia Argenti Vivi*.
- 28 *Historia Fossilium; veluti Vitrioli, & Sulphuris, &c.*
- 29 *Historia Gemmarum; veluti Adamantis, Rybini, &c.*
- 30 *Historia Lapidum; ut Marmoris, Lapidis Lydi, Silicis, &c.*
- 31 *Historia Magnetis*.
- 32 *Historia Corporum Miscellaneorum, que nec sunt Fossilia præteritus, nec Vegetabilia; ut Salum, Succini, Ambre-griseæ, &c.*
- 33 *Historia Chymica circa Metalla & Mineralia*.
- 34 *Historia Plantarum, Arborum, Fructuum, Herbarum, & Partium eorum, Radicum, Caulium, Ligni, Foliorum, Florum, Fructuum, Seminum, Lachrymarum, &c.*
- 35 *Historia Chymica circa Vegetabilia*.